



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XIX. De vita & habitu monialium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

<sup>ANNO CHRISTI 1287.</sup> titiæ computando , & in ea non curauerit vicarium aut ministrum idoneum ordinare , præsentis constitutionis tenore sit extunc ab officio ipso facto suspensus , tamdiu in suspensione huiusmodi permanens , quamdiu ecclesia ipsa sine vicario seu ministratore manebit , & prouisio sive ordinatio ecclesiæ ordinarii arbitrio reseruetur .

X V I I I.

Volumus etiam , quod abbates , priores monasteriorum , quæ per priores sunt solita gubernari , vestes non habeant , quæ in forma vel colore apparent sacerdtales , ac monachos eorum intra claustra eorum retineant , nec permittant eos sine manifesta , seu iusta , ac rationabili causa frequenter in sæculo cum sacerdtales conuersari : sed secundum statuta regulæ , in qua professi sunt , studeant Dominu deseruire : & si contra fecerint , per mensem per superiorem ab officio suspendantur .

X I X.

Hanc circa monialium curam abbatissas & priorissas monasteria monialium gubernantes volumus adhibere cautelam , vt postquam monialis quindecimum annum ætatis exegerit , & post duodecimum aut quindecimum ætatis suæ annum probationem in monasterio fecerit , ultra annum professionis velum cogatur recipere , ac sibi capillos iuxta scapulas amputare ; quæ per subtractionem præbendarum abbatissæ studiose arceantur . Item sine manifesta vel rationabili causa exitus claustris eisdem monialibus per eam quæ regit monasterium prohibeatur omnino . Ceterum ne prætextu

inopiae ipsis detur monialibus occasio malignandi, abbatissa, iuxta facultatem & quantitatem reddituum monasterii, eis in vietu honeste prouideat & amictu, prout regula patitur earumdem. Super quo si dubietas emergerit, per ordinarium loci declaretur; & ipse ordinarius abbatissas contra facientes per administrationis priuationem coercent, vel alias, quo melius eas posse videbitur coerceri.

XX.

Dignum arbitrantes & consentaneum æquitati, ut quos iugo legis forsitan premimus ab oppressorum illicitis ausibus defendamus, & consultissima constitutione in posterum valitura sanciamus, quod nulla sæcularis vel ecclesiastica persona, quantumque nobilitate aut præminentia status præfulgeat, Christianissimo domino Romanorum rege semper Augusto, eiusdemque diuina conforme, eorumque filiis dumtaxat exceptis, ecclesias & ecclesiastica bona, iura & iurisdictiones, & vassallos eorum, violenter & auctoritate propria publice usurpare, aut occupando inuadere, vel scienter usurpare, aut occupatoribus, inuasoribus, & scienter usurpantibus ecclesias & bona prædicta præstare præsumant, quomodolibet per se, vel per alium aut alios, consilium, auxilium, vel fauorem: vel quod si aliquis contra huiusmodi nostræ constitutionis tenorem facere vel venire præsumperit, & requisitus infra mensem ecclesiæ læsæ, aut prælato ipsius damnum non emendauerit, ipso facto anathematis vinculo sit innodatus; & terræ ipsius ecclesiastico subiaceant interdicto: ac clerus